

Heinrich Schuckmann    Johann Kirchmann

## **Disputatio Inauguralis De Pacto Obstagii**

Rostochii: Kilius, 1642


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731848349>**

Druck    Freier  Zugang



Leistungsvertrag

H. Schuckmann (J. Kirchmann) <sup>Vert.</sup> /c  
R. U. im 1642.



DISPUTATIO INAUGURALIS  
De  
**PACTO OBSTAGII**

Quam  
D. T. O. M. A.

Auctoritate & decreto Nobilissimi, Ampli-  
plissimiq; Jctorum Ordinis in Illustri  
Academia Rostochiensis.

PRÆSIDE

Magnifico, Amplissimo ac Consultissimo  
VIRO,

**DN. HEINRICO SCHUCKMAN,**

Jcto Eximio, Professore Codicis Publ. p. r.  
Academiae hujus RECTORE, ac Facultatis Juridicae Vice-  
DECANO, DN. Praeceptore, Favitore & Affine  
suo pl. honorando,

*Pro summis in Utroq; Jure Privilegiis & Honori-  
bus Doctoralibus consequendis,*

Publico examini subijcit

**JOHANNES KIRCHMANNUS**

LUBECENSIS,

Die 28. Julii, horis matutinis & pomeridianis,  
loco consueto.




ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XLII.

1642





## PROOEMIUM.



*O*bstagiorum pacta, etsi quidem Politica Imperij Constitutione de Anno 1577. tit. 17. rubr. Von wucherlichen Contracten §. Wiewol auch / propter fedum abusum, quem Daniel Moller. Semestr. lib. 3 c. 30. describit, improbata ac interdicta sunt, quotidiana tamen praxis edocet, ea quibusdam in locis ex inveterata quadam consuetudine (cujus initij memoria non extat Mod. Pistor. Conf. i. vol. 2. n. 13.) qua vim Legis l. 32. 33. 35. ff. de Legibus ac Privilegij habet Coler. de Process. Execut. c. 4. part. i. n. 10, imò statuto est potentior. Cravett. de antiq. temp. p. 1. §. 1. n. 42. sublato omni abusu tanquam unicum ex multis cautionibus securitatis remedium Pet. Frider. de Mandat. lib. 2. c. 72. th. 9. in viridi adhuc observantia esse, Hunn. in Encyclopædia part. 2. tit. 30. de Obstagio, ac nonnulli Casarea confirmatione denuo gaudere, uti ex Assuratione ista inter Illustrissimos Duces ac Provinciales Megapolitanos inita constat. Hancce itaq; Obstagiorum materiam non minus jucundam quam scitu necessariam publica Inaugurali Disquisitioni subjicere placet.

A

THESIS

## THESIS PRIMA.

Cum verborum prior, rerum posterior esse debeat cognitio, *Oldendorp. cl. 4. act. 24. pr.* ideoq; turpe sit prius determinare quam terminos intelligere, *Mantica de Conject. ult. vol. lib 1. t. 1 n. 1.* ab ipsa vocabuli denominatione initium facimus, illudq; non natum sed ab origine factum duplici, & junctum sive compositum esse à particula OB & STARE statuimus, ut videlicet debitor ad interpellationem creditoris ob debitum tempore & loco determinato se sistat, inq; eo tamdiu stet, donec conventa præstiterit. Germanicè vocatur die Leistung, quod à vocabulo Leisten / id est præstare, derivatum esse censetur. Hinc etiam dicitur Ich wil leisten was ich versprochen oder zu gesaget habe. h. e. volo promissis stare. *Speidel in addit. ad Besold. Thesaurum in verbo Leistung.* Item Leistung / *Barthius in Sentent. Cameral. de Anno 1570. p. 783 n. 8. de Anno 1549. p. 36. l. C.* Item Mahnung in die Leistung *Auctor Symphor. Cameral. tom. 3. in voce Obstagn.* Vulgò verò Einritt / Einlager / nominatur.

### II.

Etymologiæ subjicimus Definitionem pro ut illa ab *Anton. de Butrio ad c. ex rescripto extra de jurejurando* est tradita, ac à *Dn. Colero in suo Process. Executiv. part. 1. c. 8. n. 4.* relata, quod Obstagnium

gium sit conventio de sistendo & non  
recedendo ex certo loco, donec conven-  
tis satisfiat.

*Def.*

III.

Obstagium ac Arrestum licet interdum in-  
differenter dicantur, revera tamen in eo differunt,  
quod requisitio pro Arresto de consuetudine sal-  
tem regulariter expediatur interveniente Jus di-  
centis officio: detentio autem ad obstagium com-  
muniter fiat mediante monitione vel interpellati-  
one creditoris etiam extrajudiciali *Coler. in Pro-  
cess. Execut. p. 1. c. 8. n. 1. Speidel ad Besold. Thes. in  
verb. Leistung*

IV.

Neq; autem hæc ita dicta volumus ac si Ju-  
dicis opera in requisitione pro Obstagio minimè  
sit necessaria: Si enim debitor ejusve fidejussor ad  
obstagium vocati se sistere recusant, tunc eorum  
Judex rectè aditur, ut eos sub certa pœna ad Ob-  
staggi præstationem compellat. *Coler c. 8 n. 2.*

V.

Antequam autem ad rem ipsam recta acceda-  
mus operæ pretium est ut prius dispiciamus  
Quinam ad Obstagium se se obstringere, inq; illud  
vocari possint? Ad Obstagium autem se obliga-  
re possunt, qui pacisci non prohibentur.

A 2

untur

untur itaque Infans §. pupillus *Inst. de Inut. stip.*  
*L. 1. §. huic prox. ff. de Oblig. & Act.* Pupillus  
*L. 189. ff. de R. J.* Furiosus *L. 1. §. furiosus ff. d. t.*  
*L. in negotiis 5. & L. furiosi 40. ff. de R. J.* Men-  
te captus *arg. §. furiosi vers. sed & mente captus*  
*Inst. decurat. §. qua ration. Instit. de pupill. substit*  
*Prodigus l. 45. ff. de R. J.*

V I.

VI. Nobiles, Doctores, cæteræq; egregiæ per-  
sonæ, quibus Juris auctoritate inest dignitas *Bart.*  
*in l. 1. C. de Advoc. div. judic.*, licet quidem pro de-  
bitis pecuniariis creditori ad manus tradi vel in  
carcerem publicum conjici hauri debeant *Coler. p.*  
*l. c. 6. n. 146. Carpz. Jurispr. for. part 2. Const. XXII.*  
*def. 18 Berlich. part. 2. concl. 28. n. 38. 39. 40 Manziq*  
*in noviss. suo debitorum depauperatorum Patrocinio*  
*dec. 1. qv. 7. n. 34 & seqq.* dummodo intra vocatio-  
nis suæ metas se contineant, *Id Manzius ibid. n. 38.*  
ab Obstagii tamen præstatione non minus ac ceteri  
de plebe immunes sunt, quod ipsum quotidiana  
observantia iis in locis, ubi Jus Obstagiorum viget,  
testatur. Videatur *Gail. de P. P. lib. 1. c. 2. n. 6. It.*  
*lib. 2. Observ. 45 n. 1.*

V II.

Fœminæ seu Virgines quamvis olim non so-  
lum apud Romanos, sed & Germanos, pro obsidi-  
bus

bus dari potuerint, *Liv. dec. i. lib. 2. Suet. in August. c. 21.* nostris tamen cum moribus eos in obstagio in publicis diversoriis sive popinis hære admodum scandalosum videatur, arg. *L. optimam vers. quas natur. pud. non omnib. C. de contrah. stipul. § Anth. Hodie* ( *de custod. reor. idq; propter periculum pudicitiae* ( prout demonstrat multis Doctorum auctoritatib. *Dn. Rutandt in elaboratissimo suo de Commissariis ac de Commissionibus tractatu part. 2. lib. 4. c. 1. n. 7. H. )* consuetudine introductum est, ut mulier hoc modo ad obstagium se obliget: *Im fall aber ich oder meine mit beschriebene seumig würden/will ich nach der gleubiger willen vnd gefallen/auff erfodern/einer ehrlichen furnemen Mann zum Einlager senden &c. Hering, in suo tract. de Fidejuss. c. 17. n. 76.*

### VIII.

An autem Uxor ad recuperandam dotem maritum ad obstagium vocare possit dubitari solet; Et quamvis Dos singularia sua habeat privilegia, istiusq; causa semper & ubiq; sit favorabilis *L. 1. ff. solut. matrim.* non tamen favor ille tantus esse debet, ut Christianam charitatem ac amorem conjugalem tollat, quod sanè fieret, si uxoribus istiusmodi licentia evocandi maritos ad obstagia concederetur, quod etiam Renovatio Constitutionis

nis Haterslebiensis. confirmat: Dajedoch den Gott-  
lichen vnd Natürlichen rechten zu gegen laufft / daß  
die Ehemanner dergestalt (sc. mit Einlagern) von  
ihren Weibern verfolget werden sollen. Et paulò  
post: Es soll auch keine Ehefrau hinferner bemächti-  
get sein ihren Eheman mit den Obstagiall Processen  
zubeburden / so lieb ihr ist den Verlust ihrer Freiwil-  
lichen Berechtigkeith / deren die temeranten vnser Con-  
stitution ohnfähig sein sollen / zuvermeiden.

IX.

Præterea Obligationes ad Obstagia non  
tantùm à principalibus debitoribus, sed & ab ipso-  
rum fidei iussoribus fieri possunt. *Coler. p. 1. c. 8.  
n. 11.* Excipiuntur Illustres personæ, Reges, ac  
Principes. Etsi enim hi in contractibus non so-  
lummodo cum exteris *Mensch. de Præsumpt. lib. 2.  
præs. 10. n. 28,* sed & cum subditis celebratis instar  
privatorum tenentur *Wesenb. par. de Legibus n. 2.  
in fin.* ac proindè secundum rigorem juris ad bene-  
placitum creditorum ad Obstagii præstationem te-  
neri deberent, at tamen, cùm indè non solummodo eo-  
rum auctoritas, sed & Respublica plurimum detri-  
menti caperet, consuetudine in eorum favorem  
introducendum est, ut non illi ipsi sed eorum fidei ius-  
sores, qui plerumq; teste Observantia ex Equestri  
Ordinis Consiliariis constituuntur, in formulis ob-  
liga-

ligationum ad obstagii præstationem se obstrin-  
gant, quod & Christianum i. Daniæ Regem fecisse,  
Historiæ testantur. Cum enim ille magnam à Lu-  
becensibus pecuniam mutuam acciperet, ex pro-  
ceribus Holsatiæ fidejussores dedit, hac lege, ut nisi  
in convento termino pecunia renumeraretur, Lu-  
becensibus petmissa esset facultas evocandi fide-  
jussores in suam urbem, non nisi solutione peracta  
egressuros, cui promissioni ad requisitionem Lu-  
becensium omni etiã ex parte satisfecerunt *Crant. 2.*  
*lib. 12. Sax: c. 7. Reim. Coch. in Chron. Lubecens. Mss.*  
*lib. 2. de A 1467. X.*

An verò Fidejussores ad Obstagia obligati,  
creditoribus Excussionis Beneficium opponere  
possint, non in commodè hîc quæritur? Etsi qui-  
dem Jure Novissimarum Constitutionum præsen-  
tis debitoris facultates regulariter ante omnia di-  
scutiendæ sint, & quatenus hic non reperitur sol-  
vendo idoneus, eatenus demû fidejussores tene-  
antur *Amb. Prasente C. de Fidejussoribus, junctâ No-*  
*vell. 4 c. 1. iis tamen beneficiis, fidejussor obligatus*  
*ad obstagium, non gaudet Mod. Pift. conf. 1. vol. 2.*  
*qu. 3. n. 50. Hering. de Fidejuss. c. 27. part. 1. n. 309.*  
cum suprâ allegata jura de ordinarijs processi-  
bus intelligenda sint, non autem de Executivis,  
qui ex vi conventionis executivæ paratam exe-  
cutionem merentur, ac usitatam jurispositivi so-  
lenni-

lennitatem haut admittunt *Coler. c. X. part. 1. n. 380.*  
§ 405: cum seqq. *Manzius dec. 1. qu. 9. n. 29. cum seqq.*

XI.

Sic quoq; si fidejussor in eventum non factæ solutionis ad obstagium se obligaverit, an eo mortuo ipsius hæredes eò vocari possint, quæri solet? De Jure civili ac Saxonico nullum prorsus dubium est, quin de Fidejussione hæredes teneantur, etiam si in obligatione nulla eorum facta sit mentio § *fidejussor Justit. de fidejuss. L. 4. §. ult. L. 5. ff. eod. Schneidew. ad dict. §. Fidejussor §c. Hering c. 20. §. 10. n. 21.* Augustus Elector Sax. Nov. Const. xx. part 2. Die Bürgschaft verbindet ipso jure der Bürgen Erben/ ob gleich derer in der Obligation nicht gedacht *Carpz. ad hanc Const. in sua Jurisprud. For. def. 1.* Cum autem in hac Megapoli *Assuration Revers art. 25. &* quibusdam aliis in locis consuetudo contrarium observet. *Hering. c. 20. §. 10. n. 80. 81. 82.* tutius erit ut hæredum personæ circa promissionem obstagii formulæ Obligationis nominatim inserantur, pro ut ex These XIII. videre licet. *Hering. c. XX. §. 10. n. 58.*

XII.

Quia autem non infrequenter evenit, ut homines de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperent, § *in fraudem Inst. qui § quib. ex causis L. in in fraudem 10. ff. qui § a quib. manumiss. lib. non &c.* Si itaq;

itaq; unus debitor diversis creditoribus uno ac eodem tempore Obstagii præstationem promississet, isq; ad unius creditoris requisitionem in Obstagio jam hæreret, Quæritur, quomodo & cæteri jus suum adversus obstagiatum exercere debeant? Cum Jura vigilantibus, non autem dormientibus scripta sint *L. Pupillus 24. ff. qua in fraud. credit. l. quod autem 6. §. 7. ff. eod. l. inter eos 19. ff. de re judicat. l. 6. §. 2. ff. de bonis auct. judic. possid.* ac proindè secundum vulgarem illam regulam, iste, qui prior est tempore, potior jure esse debeat, æquitati consentaneum est, ut Obstagiatuſ iste in eo, à priore creditore sibi adsignato loco subsistat, nec indè, si modò & cæteri obstagii præstationem ipsi indixerint, prius discedat, quàm omnibus ac singulis & de sorte & de usuris, omniq; interesse planè satisfactum sit, quod nostrum adsertum & præallegata Constitutio Hatterslebiensis, istiusq; Renovatio, §. *Und mag die zur Leistung/* comprobatur.

### XIII.

Porrò Obstagii obligatio pro debito pecuniario fieri solet, prout de Obstagiiſ promulgatæ Constitutiones testantur.

### XIV.

Forma deindè obligationis ad Obstagia in personis fidejussorum, si sint Nobiles, ita concipi solet:

B

let:

let: Et nos Fidejussores omnes ac singuli pro nobis, hæredibus, & successoribus nostris, quatenus principalis ad præfixum diem creditori non solverit, damus ei licentiam requirendi nos omnes ac singulos pro obstagio, quo casu ad omnem requisitionem creditoris, ejusq; hæredum, vel cujuscunq; bonæ fidei possessoris harum litterarum, si vè oretenus illa fiat, si vè in scriptis, omnes ac singuli cum tot equis & servis ingrediemur hospitium publicum ejus civitatis, quod & quam nobis ipse pro obstagio determinaverit, ibiq; tenebimus legitimum obstagium, & jura obstagij observabimus, prout inter Nobiles fieri consuevit, indè non recessuri, donec creditori ejusq; hæredibus, aut bonæ fidei possessoribus hujus obligationis, tam de sorte, quam etjam de usuris, ac omni interesse, planè sit satisfactum *Coler. c. 8. n. 30. Hering c. XXX. n. 24.*

XV.

Undè liquet, in creditorum arbitrio residere, debitoribus eorumq; fidejussoribus locum pro obstagio deputare *Coler. c. 6. p. 1. n. 57.* quod tamen sic dictum volumus, ne i. locus ille sit extra Romanum Imperium situs, pro ut Constitutione *Polit. de Anno 1548. sub rubr. Von Bucherlichen Contracten, §. So auch eine Guldtverschreibung &c.* cautum extat

extat, nec 2. sit aliud quàm publicum honestumq;  
diversorium, quod Haterslebiensis Constitutio §.  
*Demnach constituiren Wir* expressis verbis innuit.

XVI.

Finis Obstagiorum est, ut debitor ejusvè fide-  
jussor, tædio delitescendi in publicis diversoriis ad-  
fecti, de mediis diligentius cogitent, quibus credi-  
tori & de sorte, & de usuris, omniq; interesse planè  
satisfacere queant: *Coler. c. 8. n: 19. Hering. c. 27.*  
*part. 1. n. 311, in med. Manzius dec. 1. qv. 5. n. 45.*  
65.

XVII.

Effectus eorum tantus est, ut Obstagiati citra  
creditorum voluntatem ex domo ista, ad Obstagii  
præstationem determinata, ante non factam solu-  
tionem citra existimationis suæ jacturam pedem fi-  
gere haut valeant *Hering. c. xix. n. 93. Coler. c. 8.*  
*p. 1. n. 67. Speidel ad Besold. in voc: Leistung.*

XIIX.

Quod tamen cum mica salis accipiendum est,  
ut videlicet de temeraria, non autem necessaria, si-  
vè caussaria egressione intelligatur. Si enim domus  
illa, in qua obstagiatus detinetur, peste vel alio  
morbo contagioso inficiatur, aut ab igne com-  
buratur, aut ruinam minitetur, aut aliud quod-  
dam infortunium, quod obstagiato in istis ædibus  
vitæ periculum adferre posset, immineat, tunc

B 2

eum

eum absque omni existimationis suæ periculo ex  
domo ista egredi posse asseveramus, cum salus mo-  
rituri cuicumq; causæ pecuniariæ præferri debeat,  
*Colerus part. 1. c. 6. n. 102.* & periculum moræ lici-  
tum faciat, quod alias sit illicitum, *arg. L. pupillo §.*  
*Si quis rivus ff. de nov. oper. nuntiat. Coler. p. 3. c. xi.*  
*n. 52. Hering. c. xv. n. 75.*

### XIX.

Si verò imminens periculum moram patiatur,  
tunc obstigatus rectius ac consultius fecerit, ut de  
eo prius creditorem suum certiores reddat, ab eo  
que alium ad Obstagii præstationem securiorem  
locum sibi adsignari expetat, quod & Haterslebi-  
ensis Constitutio, §. *Und soll er auß dem Einlager*  
&c, innuit. *Coler. p. 1. c. 8. n. 91.*

### XX.

Sic quoque si Obstagiatus nihil amplius facul-  
tatum habeat, undè se alere possit, & creditor ne-  
cessarios sumptus suppeditare recuset, tunc in ejus-  
modi extremæ mendicitatis & famis casu obstagiū  
deserere potest, nec istampœnam, quæ ceteris ma-  
litiosis desertoribus determinata est, meretur. *Co-*  
*ler. c. 6. n. 103. It. c. 8. n. 98. part. 1. Dn. Rulandt de*  
*Commiss. part. 2. lib. 4. c. 25. Manz. dec. I. qu. 5. n. 75.*  
*76. 77.*

### XXI.

## XXI.

Cum igitur Obstagiato omnis voluntaria egre-  
 giendi facultas præcisa sit, Quæritur, an etiam jus  
 commerciorum ac contractuum amittat? Si vete-  
 rum istorum Obsidum, quorum *L. L. nostra civi-  
 les, puta L. Obsides ff. de Testamentis L. facere 10 ff. de  
 milit. Testam.* &c. mentionem faciunt, naturam  
 ac conditionem perpendamus, dicendum erit, e-  
 os nec contrahere, nec testari potuisse, nisi ipsis à  
 Principe fuerit permissum. Verum cum hi Obsi-  
 des, de quibus impræsentiarum agimus, longè ab  
 illis discrepent, eos jus celebrandi contractus ac  
 testamenta faciendi nullo modo amittere, sed reti-  
 nere concludimus, dempta saltem facultate pro-  
 hibitu eundi & commeandi. *Hering. c. 15. n. 73. Mo-  
 linæus in Codic. lib. 6. t. 22. mibi p. 268. n. 10.*

## XXII.

Quod si præterea debitor, ejusve fidejussor  
 in Obstagio jam hæzant, creditor autem videns e-  
 os de solutione parum sollicitos, consilium postea  
 mutet, ac in ipsorum bona ex vi conventionis pa-  
 ratam executionem petat, tunc unius remedii exe-  
 cutivi electionem non præcludere viam aliis,  
 quando per primum creditori non est satisfactum,  
 statuimus: Idque sinè dubio tum obtinet, si Credi-  
 tores in Instrumentis hanc clausulam adponen-

dam curarint, quod eligendo unum remedium per hoc noliat recedere ab altero remedio, sed velint ab uno ad aliud tam diu regressum habere, donec ipsis integrè satisfactum sit. *Coler. part. 1. c. 8. n. 65. Hering. c. xxx. §. 35. CarpZov. Jurispr. for. part. 2. Const. 21 def. 4.*

### XXIII.

Ne autè fidejussoribus interposita fides damnosa sit *L. 1. §. 2. ad Trebell.* nec inde dispendium patiantur, undè præmium meruerunt, *Muscatell. in pract. fidejuss. proæmion. 4.* & juri & æquitati consentaneum est, ut principales debitores non solummodò illis absq; mora de soluta pecunia, puta sorte, usuris, interesse, aliisq; necessariis sumptibus, sub pœna paratæ executionis, satisfaciant, *Her. c. xxvi. n. 8.* verù etiam damna ista, quæ ob obstagii præstationem pertulerunt, salva tamen moderatione, resarciant. *Idem ibid. n. 60. Schneidw. ad §. 1. Si quid Insti. de Fidejuss. n. 1* quod ipsum & Jus Provinciale Eiderostadense *part. 3. art. 7. Von Burgschafft vnd Gelübden* probat.

### XXIV.

Si verò plures essent fidejussores, eorumq; unus tantummodò ( qui tamen singuli in solidum tale factum præstare coguntur *L. stipulationes 72. ff. de Verb. Oblig. R. Rulandt de Commiss. part. 4. lib. 6. c. 4. n.*

4. n. 19. *Hering. c. 17. p. 2. n. 76. It. part. 3. n. 92.* cum in obligationibus Obstagiorum Divisionis beneficio, à D. Adriano introducto, locus non relictus sit, *Mod. Pistor (Consil. 1. vol. 2. n. 18. cum seq. Francus de Fidejussoribus c. 5. n. 476.)* ad Obstagium esset vocatus, isq; creditori totum debitum exsolvisset, nec ab illo depauperato id iterum recuperare posset, tunc nihil obstare dicimus, quo minus id à fidejussoribus suis, cessa illis prius actione, pro rata, (si prius & suam quotam defalcarit) una cum inter usurio ac interesse respectu totius summæ expositæ, iterum exigat. *Hering. c. xxxvii. part. 2. n. 77.* quod etiam Jus provinciale Eiderostadense *part. 3. art. 7.* confirmat, nec ab eo Jus Lubecense *lib. 3. art. 2.* discrepat.

### XXV.

Porro SOLUTIONE totius debitæ summæ una cum usuris ac interesse debitorem ejusve fidejussorem ab Obstagii præstatione liberari, indubitati juris est. *Hering. c. xxx. §. 1.*

### XXVI.

Si autem reus vel fidejussor solutionem facere velint, Creditor autem vel propter absentiam, aliudve impedimentum voluntarium, modò in Obstagii ignominiam, susceptionis officium, (ut loquitur *L. 4. C. de collat. fund. patrim.*) neget, tunc  
pro

pro consequenda liberatione ab Obstagio, integræ debitæ pecuniæ cum omni accessione, ita ut nec nummus deficiat, vel dolosè omittatur, oblatio, obsignatio, ac depositio actualiter, non verbaliter, apud Iudicem competentem, si is haberi queat, vel apud non competentem, aut amicum in præsentia honestorum virorum facta sufficit, *Menoch. de A. J. Qu. casu cccxxxii*, *Zangerus de Exceptionib. c. 2. part. 3. n. 87.* *Hering. c. xx. §. I. n. 34.* *Wesensbecius Par. de Solutionibus n. 8.*

### XXVII

PER RESCRIPTUM quoq; PRINCIPIS vel magistratus superioris & evocationes ad Obstagia ex certis & legitimis causis aliquando inhiberi posse asserimus, *Hering de Fidejuss. c. 17. n. 72.*

### XXIIX

PER CESSIONEM BONORUM principalem debitorem ab Obstagio liberari, communi Dd calculo adprobatum est *Gail. lib. 2. Observ. 45. n. 6.* Cum n. cessio illa sit beneficium juris *VVes. p. de cess. bon. n. 3.* & quidem beneficium vel adutoriū flebile, lamentabile, ac miserabile *L. pen. C. qui bon. ceder. poss. Menoch. de A. J. Qu. cent. 1. cas. clxxxiii. n. 11.* ad quod debitores omni auxilio destituti velut ad sacram anchorā confugere solent, *Myns. Inst. de Act. in pr.* ac proindè istiusmodi beneficia nemini auferenda sint *c. indultum de R. J. in 6to. c. final. extra de 2dis nuptiis,*

nuptiis & juris & æquitatis ratio dicitur, debitores  
ad istiusmodi legitimam Cessionem pro conse-  
quenda liberatione admittendos esse *arg. L. 1. C.  
qui bonis ceder. poss. Coler. p. 1. c. 6. n. 12. Manz. dec.  
1. qu. 4. n. 4. & qu. 7. n. 3.* etiamsi cessioni renun-  
ciaverint, *Id. dec. 1. qu. 7. n. 2.*

XXIX.

Notandum tamen, Creditorem, qui fidejussores  
una cum principali reo obligatos habet, Cessionem  
illam acceptare haut teneri. Cum enim Creditor ille  
hanc ob causam de fidejussoribus sibi prospexerit,  
ut, debitore facultatibus lapsò, suum ab illis extor-  
quere possit, nihil obstare concludimus, quin post-  
habita illa Cessione contra fidejussores secundum  
obligationis formulam procedat (*Coler. p. 1. c. 6. n. 124.  
It. c. 8. n. 99. fin. Hering. c. 27. n. 99. 100. 101. 102.*

XXX.

Sic quoq; Legis Juliæ beneficium ad eos tantum-  
modo pertinere dicimus, qui bellorum, incendii,  
naufragii calamitate bonis exuti sunt, vel facultates  
suas, citra suam culpam, fortunæ vitio decoxerunt,  
*Stracch. de Mercat. rubr. de decoctor. p. ult. n. 3.* atq; ita  
infelices (prout à Justiniano Imper. in Nov. 4. & 135.  
nominantur) debitores facti sunt. *Hering. de Fidej.  
c. 5. n. 104. Manz. dec. 2. qu. 6. n. 46.*

XXXI.

Omnes igitur fraudatores, bancorruptores, ac de-  
cocto-

coctores, qui sua nequitia, luxuria, prodigalitate,  
aut alio inhonesto modo sua dissiparunt, *Ordin. Pol.*  
*de Anno 1577. tit. 23. Dn. Cötmann, Conf. 19. vol 1.*  
*n. 18.* aut sub Spe Cessionis contrahentes, ut debi-  
tores decipiant *Brun. de Cess. bonor. 30. qv. 4 pr. n. 1.*  
nec non debita negantes *Boer. dec. 349. n. 8. Manz.*  
*dec. 2. qv. 8. n. 49.* à Cessionis beneficio excludun-  
tur, hi enim, cum in Legem peccent, & Legis bene-  
ficio se quoq; indignos faciunt. *arg. L. 1. C. ubi Senat.*  
*vel Clariss. Manz. dec. 2. qv. 8. n. 47.*

XXXII.

Disputationem nostram hæc quaestio, An Ca-  
daver debitoris mortui in obstagio possit detineri,  
ne sepulturæ mandetur, priusq; heredes debitum  
defuncti exsolverint? Cum Reipublicæ intersit,  
mortuorum corpora quam citissimè sepulturæ  
mandari, ne cadavera fœtorem excitent, pestemq;  
aliosvè morbos caussentur *arg. L. 3. §. Divus ff.*  
*de sepulch. viol.* ac proindè ea, quæ communiter o-  
mnibus profunt, illis, quæ specialiter quibusdã sunt  
utilia, præponi debeant, *Manz. dec. 3. qv. 4. n. 86.*  
negativam rectè defendimus. *Novell. 60. c. 1. junct.*  
*L. cum sit Injust. 6. C. de sepulch. viol. Coler p. 1. c. 6.*  
*n. 116. Et p. 2. c. 3 n. 428. Hering c. X. n. 42. Et seqq.*  
*Carpzov. in Jurisp. Forens. Roman. Saxon. part. 1.*  
*Const. xxx def. xxii:*

SOLI DEO GLORIA.





XXI.

Cum igitur Obstagiato omni  
giendi facultas præcisa sit, Quæ  
commerciorum ac contractuum  
rum istorum Obsidum, quoru  
les, puta *L. Obsides ff. de Testamen  
milit. Testam.* &c. mentionem  
ac conditionem perpendamus,  
os nec contrahere, nec testari  
Principe fuerit permissum. Ve  
des, de quibus impræsentiarum  
illis discrepent, eos jus celebra  
testamenta faciendi nullo mode  
nere concludimus, dempta sa  
libitu eundi & commeandi. *He  
linæus in Codic. lib. 6. t. 22. mibi*

XXII.

Quod si præterea debitor  
in Obstagio jam hæzant, credi  
os de solutione parum sollicito  
mutet, ac in ipsorum bona ex vi  
ratam executionem petat, tunc  
cutivi electionem non præcl  
quando per primum creditori  
statuimus: Idque sinè dubio tunc  
tores in Instrumentis hanc cla

B

ria egre-  
etiam jus  
Si veter-  
*stra civi-*  
*10 ff. de*  
naturam  
erit, e-  
si ipsis à  
hi Obsi-  
longè ab  
tractus ac  
sed reti-  
tate pro  
*73. Mo-*  
o.

de jussor  
videns e-  
m postea  
onis pa-  
medii exe  
m aliis,  
s factum,  
si Credi-  
dponen-  
dam

